



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 136. Tradens sanguinem iustum. v. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

missione spiritus & lacrimarum imbre, ut gratiam tuam non amitam cum Iuda Ischariothe, sed eam acquiram magis ac magis in remissionem peccatorum omnium & vitam æternam, Amen.

§. 136. Tradens sanguinem iustum. v. 4.

Forma peccati Iudæ fuit Traditio sanguinis iusti, ex propria confessione, quæ & causa fuit desperationis. vere enim pœnitere noluit & veniam precari ab eo, quem offendit Deum, quem & sibi præsentem habebat in domo Pilatæ secundum impœnitens cor suum toties monitus, *thesaurizavit ergo sibi thesaurum suum*, hinc de Dei misericordia desperavit, cum Cain fraticida, in fide errando nolens cum Petro se humiliare, & Zachæo & publicano agnoscendo & Deum & gravitatem peccati veniam petendo, eligens potius mori quam confusionem pari in mundo, & æternaliter perire in inferno, quam misericordiam pœnitendo adipisci, nec sine dispensatione Dei, ut hoc facto Christi innocentiam principibus contestaretur, ipsosque emptores de iniquo contractu argueret atque totum mundum à scandalo liberaret, exemplumque esset principibus Sacerdotum, qui Christum gentibus iam tradiderant, nisi Deum agnoscerent, & veniam ab ipso peterent, perituros cum ipso miserabiliter, uti factum esse historiæ testantur.

Domine peccator sum maximus & multoties tradidi te, & sanguinem tuum vendidi ad flagellandum, colaphizandum, spinis coronandum & crucifigendum per peccata, heu nimis multa & magna nimis, doleo & confiteor coram te & sanctis tuis totoque mundo, & cupio veniam à te cum lacrimis vere contrito & humiliato corde, nunc & semper & maxime in hora mortis meæ, nunc & pro tunc, ne subito præoccupatus morte non paratus inueniar: da igitur hanc gratiam, ut non maneam obstinatus in peccatis cum Iuda, aut de tua misericordia diffidam cum Cain, sed semper cum Petro recurram ad tuam piam misericordiam & gratiam, eam implorando pœnitenti corde.

§. 137. At illi dixerunt: quid ad nos. v. 4.

Attendite, ô Iudæorum principes, & considerate, quid loquamini; hic Iudas fatetur culpam suam de Christo innocente male tradito, fatetur & ipsum iustum, & dicitis: *quid ad nos?* nonne estis Iudices constituti, ut secundum legem & æquitatem iudicetis populum, malos perdati, bonos conservetis: istos puniatis, hos præmio afficiatis juxta meritum; videtis ergo &

audientes